

Q. 77 num. 3

DISPUTATIO IURIDICA,

DE

Pri. C. num. 23.

ALLUVIONIBVS,

1656, 5.

Quam

Dec. xx.

DIVINA FAVENTE GRATIA,

12

PRÆSIDE

AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

VIRO,

DN. IOH. SEBASTIANO

GAMBSIO,

IURIVM DOCTORE ET IN INCLV-

ta Argentinensium Vniversitate INST. IMPER. PRO-

ESSORE, DN. Fautore & Præceptore æter-
num observando,

Publico examini subiicit

CYRIACVS Kiepenhausen

GOTTING-SAXO.

Loco horisq. consuetis,

Ad diem 28 Februarii.



ARGENTORATI,

TYPIS FRIDERICI SPOOR.

ANNO M DC LVI.

14

871/5

18

7

2

111



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
Amplissimis, Consultissimis, Experientissi-
mis, Prudentissimis, Spectatissimis

VIRIS,

DNN. { CONSVLIBVS }
SYNDICO
PHYSICO

UNIVERSOQUE OR-
DINI SENATORIO

INCLVTA REIP.
GOTTINGEN-
SIS, PATRIÆ PA-
TRIBVS, Dnn. Pa-
tronis, Fautori-
bus & Promoto-
ribus suis,

Submisso observantia cultu

Dedicat, Inscribit, Consecrat

Cyriacus Niepenhausen
Autor & Respond.



Σὺν Θέῳ.

De

ALLUVIONIBVS.

THESIS I.



Materiam alluvionum recte institui atque absolvi putamus, si nominis consideratione aditum nobis ad ipsa adyta paraverimus; sunt quippe nomina principia quædam externa, quibus mens humana aditum sibi paulatim & successivè ad rei alicuius intelligentiam parat atque instituit: Licet enim potior rerum, attamen verborum prior habenda est ratio, & hoc potissimum, quando homonymiæ vel ambiguitates nonnullæ adsunt, Paurmeist. *lib. I. de Jurisdic. Imp. c. I. in pr.* curamque vocabulorum non in totum abiiciendam & sperendam esse monent Icti veteres & recentiores, Celsus *in l. 7. §. ult. ff. de supellect. legat.* Paulus *l. I. pr. ff. de furt. l. I. §. I. ff. de Tutel.* Vlpianus *l. un. §. I. ff. de Off. Quæst. l. I. §. I. de Pact.* Heringius *de Fideiuss. c. 2. in pr.* & Dn. D. Hahn. *in not. ad Wesemb. de I. & I. n. 3.* Imò hâc in re adeo curiosi fuere Icti veteres, ut ipsis etiam Grammaticis sæpe palmam præriperint. Cuiac. *ad l. 125. ff. de V. S.* multisque exemplis declarat Valent. Guil. Forst. *lib. I. observ. II.*

II.

Perpendendum igitur venit nomen alluvionis ratione Homonymiæ, Etymologiæ, Synonymiæ, & Parony-

A

rony.

ronymia, quas singulas paucis lustrabimus. Hæ enim nisi explicentur, necesse est confusionem inde oriri, sunt enim æquivocationes errorum semper generatrices, Scalig. *exerc. 148. sect. 4. cit. à Gryphiand. de Insul. c.1. num.3.*

III.

Quantum itaque ad Homonymiam: Est hoc vocabulum alluvionis πολύσημον, variæ & multiplicis significationis: Sumitur enim generaliter & specialiter; Generaliter ita ut & insulam sub se comprehendat, *l. 2. ff. pro suo.* Specialiter quatenus opponitur insulæ: sic sumitur *in §. 20. Inst. de R. D. & l. 7. §. 1. ff. de A. R. D.* apud Ciceronem *lib. 1. de Oratore*, qui ibi alluvionum & circumluvionum jura separat: Connanus *Comm. lib. 3. c. 5. n. 1.* Specialiter iterum in jure nostro sumitur tripliciter: 1. Efficienter, pro actu ipso alluvionum. 2. materialiter, pro incremento earundem. 3. pro effectu, sive jure alluvionis & acquisitione dominii. Gryph. *d. tr. c. 18. n. 14.* ubi citat Parmens. *lib. 1. c. 2.*

IV.

Sequitur Etymologia. Dicitur autem alluvio vel alluvies (Græcis πρόσκλησις aut πρόσχωσις, quasi adundatio vel exaggeratio, Theophil. *in paraphr. gr. Instit. Jur. Civ.*) etiam adlavio, propterea quod adlavando producat alluvionem flumen vel mare. *l. 16. §. 3. Famil. Hercisc. & Gothofr. ad eandem.* hinc terra adlavia dicitur, ratione paronymiæ flumen terram lambere, lavare, Poëtis verberare, Germanicè ein Zufluss oder Zuwachs. Coll. *Jur. Argent. ad tit. ff. de A. R. D. th. 26.* Synonymia & Paronymia sub hæc thesi jam latent.

V.

Succedit jam ipsa realis tractatio, in qua prius generalia ponderanda & consideranda, antequam ad species

9. 77 non. 3
7
2
cies deveniamus, in generali tractatione se primò offert fronte ipsa Definitio, hâc enim, tanquam basi ac fundamento, quo cetera superstruuntur, neglectâ, reliqua penitus intelligi non posse, commune est Ictorum & Philosophorum axioma. Ulpianus l. 1. de I. & I. l. 1. pr. ff. Depos. l. 1. & 2. ff. de Sponsal. & passim Aristot. 2. poster. Analit. 14. 2. Metaphys. 3. Cic. lib. 1. Offic. & lib. 2. de finibus.

VI.

Definitur autem *Alluvio*, quod sit incrementum (a) latens (b), quando flumen (c) vel mare (d) agris (e) nostris (f) aliquid (g) paulatim (h) adiicit (i) §. 20. Inst. de R. D. l. 7. §. 1. ff. de A. R. D. Ut autem eo melius hæc Definitio intelligi possit, paulò fufius eam tractandam, & singula eius membra examinanda putamus.

VII.

(a) Dicitur incrementum: quod vocabulum cum Gryph. de Insul. c. 18. n. 22. genus Definitionis nostræ constituimus, hoc enim ad omne augmenti genus pertinet, sive naturâ sive artificio, sive quocunq; modo contingat. arg. auth. qui res, C. de SS. Eccles. Baptism. Aymus l. 1. c. 2. n. 3. (b) Latens (hæc vox differentiam specificam sive formam insinuat. Gryph. d. l.) sive occultum, ἀόφρατος λανθάνουσα. Theoph. in gr. Paraphr. ita lentè progrediens ut non appareat. Coll. Iur. Arg. d. l. oculis enim nostris per imbecillitatē visus humani deprehendere tam subtilia incrementa, quænam & quanta quovis adiecta sint momento, non possumus. Schneidevv. ad §. 20. Inst. de R. D. (c) Loquitur Imperator de flumine publico & perpetuo. §. 2. Inst. de R. D. In privatis enim, ut & in fossis in agris privatorum factis, lacubus & stagnis jus alluvionis locum non habet, Bartol. de flum. & alluv. ad verb. flumen. de quibus infra th. 15. & 16. (d) in Maribus enim non minus ac fluminibus alluviones fieri, & Icti &

in omni terti monio sunt, de quibus *th. 14.* (e) utitur
Gaius *in l. 7. ff. de A. R. D.* verbis prædii & fundi, quorum
appellatio generalis est, *vid. infra th. 19.* Necessè est au-
tem ut agri non sint limitati, &c. de quib. suo loco plu-
ribus. (f) Requiritur enim nostros esse, siue pertineant
ad nos jure domini vel quasi, usus, usufructus, pigno-
ris vel alio quovis modo: Bart. *d. tr. ad verb. nostro. vid.*
th. 27. 28. (g) Et nihil interest, seu illud quod adicitur sit
arena, limus, calx, lapilli pretiosi, aurum, gemmæ & alia.
(h) Quia si magno impetu vis fluminis ex vicini agro
partem detraxit, nostroque adiunxit, non nobis acqui-
ritur, sed manet prioris Domini. §. 21. *Inst. de R. D.* De-
bent autem ita esse adiecta, ut sint unita: dicuntur au-
tem unita quorum partes invicem cohærent. Bart. *d. tr.*
ad verb. adiecerit.

VIII.

Propositâ & examinâtâ Definitione accedimus
ordine ad Divisionem. Quemadmodum autem Divi-
siones ex diversis causarum generibus aliàs desumi pos-
sunt; ita hîc potissimas facimus, tum à causa efficiente,
quod alia sit vel alluvio maris vel fluminis: tum à causa
formali, quod alia secundum Azonem sit alluvio per
accretionem, alia per decretionem. Illa fit potius per in-
sensibilem quandam adiectionem, hæc, quod mare aut
flumen sensim sensimque aliquanto decrescat, ita ut li-
mites agri paulatim extendantur; id quod observare li-
cet in locis, ubi æstus maris indies conspicitur, in priorè
specie aqua etiã terræ aliquid adiecit & secum fert, in
posteriore paulatim tantum recedit, & sic decrescendo
flumen vel mare agris nostris aliquid relinquit: *vid. A-*
zonem in sum. C. de Alluv. Gryphiand. d. tr. c. 6. n. 35. & c. 18.
n. 27. Quamvis Gryph. *d. c. 18. n. 27.* dicat decretionem
hanc, ita alluvioni contra distinctam, speciem diver-
sam

7
fam esse ab alluvione, licet generaliter alias concedat,
alluvionem absque aquæ appulsu & recessu coniun-
ctim perfici non posse.

IX.

Hæc de alluvionibus in genere præfati, ipsam spe-
cialem tractationem aggredimur, consideraturi allu-
viones in consentaneis & dissentaneis: Consentanea
consistunt in causis tum internis tum externis, & qui-
dem potissimum externâ efficiente, quæ vel principalis
vel instrumentalis: principalis est iterum vel remota
vel propinqua; Gryph. *d. tr. c. 18. n. 23.* & ab eo citatus
Goedd. *in cons. de alluv. maris n. 9.* de quibus omnibus or-
dine dispiciemus.

X.

Ac primò quidem causa externa efficiens princi-
palis remota quoad originem est Ius Gentium, & fun-
damentum habent alluviones in ipso Iure Gentium:
arg. l. 7. §. 1. ff. de A. R. D. §. 20. Inst. de R. D. Quatenus enim
consideres ipsam adiectionem, qua minutatim absque
industria hominum pars agro coalescit, recte dici po-
test Ius Gentium primævum, quo quævis accessoria pars
sequitur suum totum, eadem enim est ratio partis quæ
totius. *l. 76. ff. de Rei Vind. l. 27. §. 7. & 8. ff. de Pact. Gail. 2.*
observ. 60. n. 6. si nimirum eiusdem est qualitatis cuius
est totum. *l. 28. & ibi gloss. ff. de fund. instruct. vel Instrum.*
legat. l. 21. ff. de legat. 1. l. 65. l. 77. §. 16. ff. de legat. 2. Quod
in hoc casu indubium est; unde recte dicitur pars con-
tineri in suo toto. *l. 40. ff. de reb. cred. l. 80. ff. de R. I. Vul-*
tei. 1. Consil. Marpurg. 22. n. 37. Quatenus vero confide-
res ipsum respectum & effectum domini, dici potest
causa huius Ius secundarium: Cum enim Iure Natura-
li res omnes communes essent, nec nota esset domi-
norum distinctio, quo vis quo vellet modo rebus com-
muni-

munibus utendi! Quia tamen, ut fieri solet, commu-
nio discordias pariebat, Aristot. 2. *Polit.* c. 2. & 3. Barbof.
lib. 3. c. 32. §. 4. & contra naturalem æquitatem pigri, qui
cum ignavis fucis ad aliena pabula venirent, eiusdem
essent conditionis, hinc humanis necessitatibus & usu
exigente, gentes humanæ jura quædam sibi constituere.
§. 2. Inst. de I. N. G. & C. Sicque etiam distinctionem domi-
niorum introduxerunt, quæ eadem jura, etiam hoc in-
casu, Dominum fecerunt commodi istius per alluvio-
nem agro quæsitum, cuius agri per alluvionem ita
accreti pars videbatur, cuique aliàs, nisi diligentia sua
impediat sollicitè ripas suas muniendo, eodem modo
flumen incommodare posset.

XI.

Huic tamen assertioni se opponit Grotius *de Iure
B. & P. lib. 2. cap. 8. n. II.* dicens, certum haberi deberi, hanc
adijectionem esse populi, si modo populus flumen oc-
cuparit: sin minus, occupantis; sed errat. Licet enim po-
pulo fluminis dominium competat, non tamen eidem
competit illud quod non est fluminis, licet fluminis o-
pe effectum; jam autem illa adiectio particularum, quæ
unde veniat nescitur, non manet pars fluminis, sed agri
istius illimitati, cui quando & quomodo adiectæ fue-
rint nescitur; idque ex supra dictis rationibus; quibus
accedit & illa, quod sicut flumen agris hisce profit al-
luendo, ita illis noceat detrahendo. Unde sicut non cre-
diderim, Grotium concessurum de *Iure Gent.* quantum
Titii agro per flumen ademptum, tantum dominii in
ipsum flumen ei acquiri, ita nec contra quantum illud
alteri paulatim adiciat, tantum populo Domino flu-
minis.

XII.

Unde facile perspicere licet justitiam huius tituli,
tum

Q. 77 num. 3

7

2

77

tum ex supradictis rationibus, tum eleganti hanc in-
rem textu *l. 2. ff. pro suo. Gryphiand. d. tr. c. 18. n. 5.* vocat
modum acquirendi naturalissimum ac justissimum; ;
non enim Possessor cui aliquid accrescit est in causa,
non eius mens, nullum eius factum, quo magis alieno
fundo aliquid detrahat, sed natura ipsa per alluvionem
fundo nostro appropriat. *vid. Oldend. class. 3. de A. R. D.*
At Obiici posset, videri contra Ius Naturale, ut quis
cum alterius damno locupletetur, *l. 14. ff. de condict. indeb.*
l. 15. §. fin. l. 66. ff. eod. l. 50. ff. de Action. empt. l. 206. de R. I.
l. 1. §. 1. ff. de Doli mali & met. except. l. ult. C. de Usucap. pro
empt. l. fin. §. 9. C. de jure delib. cap. suam 9. de Pœnis. cap. lo-
cupletari 47. de R. I. lib. 6. Barbosa lib. 10. c. 29. n. 25. Sed Re-
sponderi potest, *in d. l. 14. ff. de Condict. indeb.* potissimum
& primariò intelligi machinationem fraudulentam,
quâ quis ex calamitate alterius auream sibi, ut aiunt,
messum meti intendit, hîc tamen damnum illud divi-
næ providentiæ accepto ferendum est, quæ propter pec-
cata hominum divitias uni quandoque subtrahit: *Ge-*
nes. 30. in fin. Dan. 2. v. 21. & passim, easque alteri ac ami-
cis suis etiam dormientibus largitur: Secus tamen si
dolus (qui impunitus non esset relinquendus, *l. 4. §. 2. de*
Noxal. Action.) aut fraus interveniat, *l. 3. §. 1. de eo per quem*
fact. Magnif. & Excell. Dn. D. Tabor *in Jurispr. Method.*
part. 2. th. 22. in Exh. (2) Etiam si dicas, lucrum licet dolo,
ut loquuntur Dd. in personam non quæsitum, tamen
quod alterius res esset, iniquum possessori & priori
Domino, qui aliàs damnum sentiret, eripiendum:
(1) Responderem: damnum quod quis suâ culpâ & ne-
gligentiâ sentit, non videri sentire. *l. 203. ff. de R. I. cap.*
damnum 86. & ibi Peck. de R. I. Philipp. Matth. ad l. II. de
R. I. n. 43. Magn. D. Tab. d. l. Iam verò culpâ & negligen-
tiâ sentiunt suâ, qui ripas suas & littora contra impe-
tum

tum numinis non satis muniunt, quod etiam facere debebant, *l. 1. C. de Alluvion. Perez ibid. & Cuiac. in recit. Cod. b* dicit, jura hæc alluvionum recepta esse contra defides & negligentes, qui ripam, quâ agri terminantur, non satis facto aggere structoq; valle muniunt & can reficiunt: Secus tamen est, quando quis ripas suas, ut potuit & debuit, munivit: tunc enim si vis fluminis aliquid abstraha, tnon amittit; nulla enim interdum contra vim maiorem ratio est muniendi se, ut de Pado flumine Italiæ Lucanus ait, esse rapidum torrensque flumen, qui interdum tam violenter currit, ut multos latè agros trans ripam transferat, sæpius insulas efficiat: Idem Rhenus, quod notum est, facit. (2) Propter dubium eventum casus fortuiti, qui se ad utrosque vicinos æqualiter habeat, *arg. l. II. C. de Transact. lucrum vix intelligi, fieri enim potest, ut fluvius cursum mutet, & cui hodiè portionem addidit, cras detrahat cum foenore, l. 38. de A. R. D. l. 3 C. de Alluvion. Cuiac. d. l. Æquo ergo animo vicinus pati debet, sive melior sive deterior, naturâ fluminis immutatâ, facta sit eius conditio: l. 1. §. 6. ff. de aqua & aqua plu. arcend. Gryph. d. tr. c. 18. n. 10. & seqq.*

XIII.

Quæri autem potest ulterius, an hoc alluvionis incrementum agro nostro, etiam cum damno vicini, adiectum bono jure in foro quoq; conscientia retineri queat? Et affirmativa probari potest, *argum. canon. quo jure, distinct. 8.* addit Gryph. *d. c. n. 13.* rationem cum Philippi Melancht. Quod Evangelium non aboleat Politias. Verum videtur ratio paulò inconcinnior: non enim tutum ob id statim in conscientia jubeat possessorem, quem ad arctiorem fidelitatem proximo præstandam constringit & devincit, licet Politicas sanctiones non aboleat

7
2
7
m
Q. 77 non. 3

leat, aut earum effectus impediatur. Nam ut eleganter
Wesemb. de I. & I. n. 4. circa fin. ait, omne νόμιμον forum
exterius putat esse δίκαιον, idque ob id, nisi expressè & di-
rectò Evangelio contraveniat, non damnatur, ita nisi al-
liud adsit quam legis externæ remedium vix Christiani,
à quo exactior justitia requiritur, conscientiam liberabit:
Rectius fortè dixeris non posse ostendi terram, quæ pau-
latim ita agro meo accrescat, ut quomodo & unde ve-
niat sciatur; esse quidem alterius agri, in quo tamen non
tam quid decrescere quam decrevisse sentias, cum terra,
quæ alteri agro decrescit, potuit, in imo fundo reman-
sisse, & fluvius per revolutiones suas aliam ex fundo suo
agro meo adiecisse, id quod experientia in mari impri-
mis & fluminibus maioribus testatur, ubi Insula sæpe
nascitur, ut tamen an littori aliquid ademptum sit sæpè
apparere nequeat: unde ut, quod providentia Divina
forte etiam ob negligentiam alterius Possessoris mihi
tribuit, alteri tradam, cuius tamen rem fuisse nondum
constet, nunquam conscientia mihi mea dictabit. Quo-
ad probationem vero causa externa efficiens prin-
cipalis remota est jus Civile, hunc enim modum acqui-
rendi iure Gent. introductum suâ approbavit auctori-
tate, arg. §. 20. Inst. de R. D. l. 7. ff. de A. R. D. Et hæc de hac
causa dicta sufficiant sequitur

XIV.

Causa externa efficiens principalis propinqua: hanc
cum Gryph. de Insul. c. 18. n. 29. constituimus in genere
motû, id est accessum & recessum aquæ, sive flumen pu-
blicum sit sive mare: Maris enim non minus ac fluminû
alluviones esse, & à mari absovi posse, ex communi non
solû Ictorum, verum etiam Philosophorum potest pro-
bari auctoritate, & quidem Dd. Schardii, Speidelii & Gœd-
dei in consil. de alluv. mar. n. 110. & ad l. 96. de V. S. Connan.

B

lib.

lib. 3. Comment. c. 2. & 5. Et Philosophorum Principis lib. 1. Meteorol. c. 14. & in problem. sect. 23. q. 29. Marium enim natura est, ut omne superfluum, noxium, immundum & stercofum expellant & littoribus impingant, nec tantum exortâ tempestate fluctuque tempestuosa sed tranquilla quoque placidaque purgantur maria Plin. *lib. 2. c. 98. Senec. 3. Natur. Quæstion. c. 26. Gryph. d. tr. c. 18. n. 83. & seqq.* Quippe in quibus copiosior materia alluvionum reperitur quam in fluminibus, unde & ipse summus terræ marisque Director & Gubernator DEVS à copiâ arenæ maris comparisonem instituit, cum Abrahamo promississet quod illius posteritatem vellet ut arenam maris augere Genes. 22. v. 17, & Prophet. Jerem. c. 5. v. 22. & c. 33. v. 22. dicit quemadmodum arena maris non potest metiri, ita semen David DEUS augebit: Pleraque autem maria plenilunio imprimis purgantur, quod etiam rustici in locis maritimis & circa ostia maiorum fluminum habitantes norunt, ut ita experientia ipsa illud satis testetur; cuius rei causam Physicis relinquimus inquirendam.

XV.

Quæritur an etiam stagna, lacus, piscina alluviones recipiant? Regulariter hoc ex l. 12. in pr. ff. de A. R. D. l. 24. §. ult. de Aqua & aqu. plu. arc. l. 69. ff. de contrab. empt. Coll. Iur. Arg. de A. R. D. th. 26. negamus. Lacus enim & stagna licet interdum crescant interdum etiam decrescant, imò penitus exarescant (quorum lacuum exsiccatorum plurima refert exempla Gryph. d. tr. c. 20. n. 94. & seqq.) attamen suos semper retinent terminos, (eadem enim est hîc ratio in lacubus & stagnis quæ in agris limitatis Cuiac. ad §. 20. Inst. de R. D.) solumq; post recessum aquæ iterum est illius cuius antea fuerat, Donnell. lib. 4. c. 27. Bartol. de flum. & alluv. in verb. flumen. Gryph.

7

Gtyph. *d. tr. c. 18. n. 106. & seqq.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 20. n. 5. lit. f.* Borcholt. *ad §. 20. Inst. de R. D.* Et ita nunquam nobis per eos accedere potest, non enim ut flumina sunt publici juris, sed plerumque privati, ideoque quia vicinis nihil possunt detrahere, nihil etiam adii-
ciunt Iohannes Wamesius *cent. 2. civil. conf. 35.* Perez *in tit. C. de Alluv. n. 4.* Excipiuntur tamen nonnulli lacus maiores maximè autem isti quos flumina pertranseunt, ut nonnullos memorat, Plin. *l. 2. c. 103.* (in Germaniâ est lacus Brigantinus vulgò *der Bodensee* prope *Lindau* / & lacus Lemanus, *Genfersee* / prope Genevam: hunc Rhodanus, illum Rhenus peccurrit) Hi motibus obnoxii sunt, ita ut fluxum & refluxum sentiant, Scalig. *exerc. 50. & 51.* ideoque vix est, ut non aliquid ex motu & materiâ fluminum participant, & hi lacus non solum maribus comparantur, *l. 112. ff. de V. S.* verum etiam maria appellantur, Bartol. *in tr. de Ins. verb. que in mari.* Gryph. *d. tr. c. 18. n. 109. & seqq.*

XVI.

Quod autem de lacubus dictum est, idem etiam obtinere putamus in fluminibus privatis: (Quæ in hie-
me tantum, in æstate verò non, aut rarò currunt. Bartol. *de flumin. in voce, flumen,* hæc verè flumina non sunt, terminosque eorum Domini pro lubitu mutare possunt) Eadem enim est ratio lacuum & fluminum privatorum: Ubi autem est eadem ratio, eadem quoque debet esse juris dispositio, *l. 32. ff. ad Leg. Aquil. l. 27. §. 2. ff. ad Leg. Iul. de Adulter. l. 9. §. 2. de Edendo. l. 5. §. fin. ff. Nauta Caup. stabul. l. 64. ff. de furt. l. 19. C. de SS. Eccles. §. 1. Inst. quod cum eo qui in alien. pot est.* Bach, *ad Treutl. v. 2. d. 20. num. 5. lit. f.* Et si sunt privata, inquit Bartol. *d. l. nemi-
mini per alluvionem aliquid adii-
enim rursus cursum mutant, & aqua præsertim initio*

æstatis deficit, solum manet eorum, quorum flumen
antea erat.

XVII.

Progredimur nunc ad causas externas efficientes
instrumentales, quæ sunt venti, tempestates & terræ
motus Gryph. *d. tr. c. 18. n. 37.* Sed de his, ut & de æstu &
recessu maris, earum causis & rationibus inquirere per-
tinet ad Physicos: Quibus placet possunt videre, Plin.
lib. 2. c. 12. Arist. *in problem. 23. & 2.* Meteorol. 1. Plutarch.
lib. 1. de placitis Philos. 17. Solin. *Polyhist. c. 22.* Hæc de cau-
sis externis dicta sufficiant, sequuntur jam ordine.

XIX.

Internæ, hæ sunt vel materia vel forma; illa est vel
subiectiva vel obiectiva, subiectiva consideratur vel in
se vel respectu nostri: Quatenus in se consideratur sunt
ager. §. 20. *Inst. de R. D.* Ager autem (quem Varro, *lib. 4.*
Ling. Lat. ab agendo M. Fabius *lib. 1. Inst. Orator. c. 6.* à gr.
αγρός deducunt) est locus qui sine villa est, villa autem
significat ædificium fundi: *l. si fundum 81. §. si fundum 3.*
ff. de legat. 1. Et sic omne id quod in fundo non ædifi-
cium est, ager est: Bartol. *in Tyber. ad verb. agro. l. 211. de*
V. S. Circa hæc autem materiam subiectivam multa
singularia, multæque quæstiones occurrunt, quas sin-
gulas, quantum brevitatis ergo fieri potest, perlustrabi-
mus. Et quidem

XIX.

Quæritur, an ædificiis juxta flumen ædificatis per
alluvionem accedere possit? Et certum est illis posse, &
quidem ideò, quia fundis & prædiis accedere potest,
quorum species ædificium (quod superficiem, id est,
quod impositum est, aut solum cui ædificium superpo-
situm est, significat: *l. 81. §. 3. ff. de legat. 1.*) vocatur, *l. lo-*
cus 60. in pr. l. quæstio 115. in fin. l. fundi 211. ff. de V. S. Ge-
neralis

XXI.

Qr. præterea quales debeant esse agri? Et rectè Cuiacius *ad* §. 20. *Inst. de R. D.* dicit in limitatis non (de quibus *infra th. ult.*) in occupatoriis autem & arcifiniis jus alluvionis locum habere: Hi enim licet finibus distincti sint, certâ tamen mensurâ non continentur: *l. 16. ff. de A. R. D. Coll. Iurid. Argent. ad eund. tit. th. 26.*

XXII.

Est autem Occupatorius ager, qui occupatus à victore populo, territis inde fugatisque hostibus, concessus eâ conditione, ut in civitatem veniret: *d. l. 16. ff. de A. R. D. Borcholt. ad* §. 20. *Inst. de R. D.* Comprenderetur autem nulla certâ mensura, sed per extremitates suas, eratque civitati totus assignatus per universitatem, ut auctore Iulio Frontino, in Lusitaniâ Salmaticensibus, in Hispania citeriore Palatinis, & ita in pluribus aliis provinciis tributarium solum per universitatem populis definitur. Cuiac. *2. obs. 9. C. I. A. de A. R. D. thes. 26.*

XXIII.

Arcifinium agrum (Varro ab hostibus arcendis deducit, quamvis & inde dicantur quod arceant fines, id est, limites non habeant, Siculus Flaccus Arcifinalem appellat) Connanus ex Varrone *Comment. lib. 3. cap. 5. n. 5.* definit, quod nullâ certâ mensura contineatur, finitus secundum antiquam observationem, fluminibus, fossis, montibus, viis, arboribus antea immixtis, aquarum divergiis & reliquis locis, quæ antea à Possessoribus poterant obtineri. Et his concessis militibus vel etiam devictis hostibus; unicuique eorum non solum tantum, quantum statim poterat colere, licebat occupare, verum etiam quantum in spe colendi imperfectum habebat, & à vicinis defendere poterat. *Parmens. lib. 1. de Alluv. 16. n. 9. Gryph. d. tr. c. 21. n. 53.*

XXIV.

XXIV.

Necesse est autem ut etiam sint agri exstantes & in flumen desinentes: *l. 38. de A. R. D. Cuiac. ad §. 20. Inst. de R. D.* Quando enim toti sunt absorpti per alluvionem, & alterius fundo paulatim adiecti, licet deinde flumen cursum suum mutet, & rursus id quod detraxerat, nempe totum agrum in priorem locum adiiciat, tamen non priori Domino, sed illi cuius fundus facta priore alluvione in flumen desinebat, & adhuc exstabat, acquiritur: *d. l. 38. Obstare videntur, l. 23. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 30. §. 3. de A. R. D.* ubi dicitur ager ablatus post recessum prioris Domini manet. Sed Resp. distingu. inter inundationem & fluminis mutationem: De illâ certum est manere agrum prioris Domini, cum nec speciem nec formam mutet, §. 24. *Inst. de R. D.* Hâc verò factâ, cum tota forma agri mutata sit, nec possit amplius dici eadem, non priori Domino, sed fundo proximo ut dictum acquiritur. Deinde videtur adversari *l. 7. §. 5. in fin. de A. R. D.* sed & hic facilis est responsio, si distinguimus inter jus strictum & benignum: ut dicamus, illo non priori Domino acquiri, *d. l. 38.* hoc vero acquiri, *d. l. 7. §. 5.* ut ita ex bono & æquo interdum aliter iudicetur, & rigori præferatur æquitas, *l. 1. §. 3. ff. si pars hered. petat. l. ult. in fin. ff. de offic. Præs. l. 8. ff. de Pactis. l. 1. C. de Legib. l. 8. C. de Iudic. l. 17. ff. de iniust. rupt. & irrit. testam. Barbosa ad v. æquitas.* quo in casu quando ex bono & æquo agitur non est curandum de apicibus Iuris, *l. 29. §. 4. ubi Bart. Mandati.* quippe cum summum jus interdum summa iniuria sit: *Cic. lib. 1. offic. Cuiac. l. 3. qq. Papin. ad l. 8. de Collat. unde Ictus jubetur studiosus esse æquitatis, l. 8. C. de Pact. Convent.*

XXV.

Porro materia subiectiva consideratur etiam respectu

tu

Qu **N**ostri: Ex re etenim nostrâ aliquid acquirimus, vel quod ei aliquid adiectum, vel quod ex eâ aliquid generatum sit: Est autem res nostra vel simpliciter & verè talis, vel justâ opinione, cuiusmodi est res bona fide possessa, ex qua fructus acquiruntur possessori, quamdiu scilicet fundamentum acquisitionis nimirum bona fides durat: Ad eò ut si huic accedat continuatio temporis lege definiti, etiam ipsum dominium irrevocabiliter quærat. Sed mutato vel sublato eo, tempore scilicet intermedio, post supervenientem malam fidem, cedente opinione veritati, vero Domino cum fructibus, & omni accessione, & sic etiam incremento illo alluvionis, res ipsa restituenda est.

XXVI.

Inde confectarium est, Domino, non solum ignorantem, sed etiam invito. hoc commodum alluvionis per operationem naturæ & fluminis acquiri, *arg. l. 39. de Neg. Gest. l. 53. de Solution. l. 20. §. 5. de Servit. Urb. Præd. Flumen enim pro ipso sine ullo facto hominis laborat, l. 30. §. fin. ff. de A. R. D. Gryph. d. tr. c. 18. n. 6. Imo iniquum est, jure suo privari ignorantem, arg. l. ult. junct. gl. ff. de Decret. ab ord. faciend. l. 5. in pr. ff. de O. & A. l. 8. ff. de his qui notant. infam.*

XXVII.

Qu, hinc porro an per alluvionem acquiratur fructuario item usuario? De fructuario negat Paul. 3. *sent. c. §. 12. Ubi omne incrementum, & sic consequenter etiam alluvionis fructuario detrahit, ex hac ratione quia alluvio fructus fundi non est: Hanc Pauli sententiam per l. 9. §. 4. ff. de Usufr. Gothofr. in not. ad eandem putat abrogatam esse, vid. Rittersh. *partit. feudal. lib. 2. c. 2. q. 3. Donell. 10. Comm. 7. & alios, aliter hanc Pauli sententiam explicantes. Verum eam de proprietate alluvionis intelli-**

7
fertiliorem reddidit, Perez in C. de Alluv. n. 7. C. A. de A.
R. D. th. 26. in fin. sequitur

XLI.

Ortus, ut sunt jura inde pullulantia, unde variæ ori-
untur quæstiones. Hinc q. an alluvione augeatur Juris-
dictio? Negantem tenet, Bart. d. tr. de flumin. ad v. acqui-
ritur, n. 9. ubi ita concludit, indubitanter itaque statuen-
dum, quod per alluvionem, neque adiciatur, neque de-
trahatur Jurisdictioni. Sed rectè Gryph. d. tr. c. 14. n. 83.
affirmat ex hâc ratione, quia per alluvionem fines im-
perii protenduntur, necesse est, eatenus jurisdictionem
augeri, arg. l. 3. §. 2. de Aqua cottid. Hæc enim territo-
rium, quemadmodum umbra corpus sequitur, l. 239. §.
8. de V. S. Bald. in l. 2. §. 2. de Off. Præs. Bocer. decis. 227. n. 7.
Sicut è contrariò deminuto territorio per flumen juris-
dictio imminuitur, arg. l. 7. §. 5. l. 30. §. 3. de A. R. D.

XLII.

Q. An ad Emptorem, an vero ad venditorem in-
crementum alluvionis pertineat? Et licet in multis ju-
ris articulis, melior venditoris ac emptoris conditio sit.
C. I. A. de Rescind. Vend. n. 5. in fin. & de Contrah. empt. n. 45.
Tamen emptori, si post perfectam venditionem aliquid
adiiciatur, sive detrahatur, alluvionem prodesse & nocere
constat, ex l. 7. in pr. ff. de peric. & commod. rei vend. &
trad. l. 1. C. eod. Perez ib. n. 9. Uti enim omne periculum
& interitus rei Emptori cedit, ita è contrario ei cedit o-
mne commodum; Sic enim leges prospexere, & secun-
dum naturam est eius esse commodum, cuius est in-
commodum, dd. ll. l. 10. ff. de R. I. l. 13. §. 19. ff. de Action.
empt. §. 3. Inst. de Empt. & vend. l. ult. §. 3. C. de furt. l. 12. C.
de Action. Empt. l. 49. ff. ad leg. Falcid. l. 23. ff. ad Scrum.
Trebell. Barbosa ad verb. commodum.

D

XLIII.

XLIII.

Qr. An alluvio maris ut fluminis, faciat rem finiti-
mi? Affirmant Dd. communiter 1. ex hac ratione quod
omnis consolidatio cedat fundo principali, l. 9. §. 2. de
Damno infect. Principale enim ad se trahit minus prin-
cipale, & ad quem principale, ad eundem etiam acces-
sorium pertinet, cap. *accessorium* 42. de R. I. c. *sollicitudi-*
nem 54. X. de *Appellat.* Barbosa ad verb. *principale*. 2. Quia
ratio æquitatis hoc requirit, ubi enim est incommo-
dum ibi etiam esse debet commodum, l. *secundum na-*
turam 10. ff. de R. I. Barbosa ad verb. *commodum*. Jam ve-
rò in non minore periculo sunt accolæ maris quam flu-
minum, sed multo maiore, quapropter etiam commo-
dum istud illis denegare velle, esset contra naturam
ipsam; Hodiè verò (quia omnia maritima ad regalia
transierunt, Gryph. c. 11. n. 71. & seqq. ubi Imperatoris
Adolphi, Comitis Oldenburgici, & aliorum Princi-
pum, qui sibi hæc incrementa reservarunt, plura affert
exempla) incrementa ista proximi territorii Domino
acquiruntur. Obiici hic posset Imperatorem fluminum
tantum non etiam marium, in §. 20. *Inst. de R. D.* men-
tionem facere, & sic non dicente lege, nec nos dicere
debere: vid. *supra* th. 14. & Gryph. c. 18. n. 95. & seqq. ubi
hanc objectionem amplè refutat.

XLIV.

Licet autem alluviones ditiores plerumque solent
reddere, eos quibus accretum est, aliquando tamen ma-
ximè noxiæ, inutiles & detrimentosæ existunt, præser-
tim maritimis & ad flumina maiora conditis Civitati-
bus. harum enim portus, in quibus felicitas maxima-
que emporii & navigationis commoditas consistit,
quando multitudo arenæ in istos à mari vel flumine in-
jicitur, fiunt deteriores, & sic navigationes & commer-
cia

7
2
eia aut penitus amittuntur, aut saltem minuuntur. Sic
urbis Traiecti, Embdæ, Patavii, Aquileiæ, Roschellæ,
Antwerpiæ &c. portus per alluvionem deteriores facti.
Conqueruntur idem Hamburgenses, quorum Civita-
tem Albis olim propius alluit. Plurima exempla vid.
apud Gryph. c. 24. n. 95. & seqq.

XLV.

Exposito effectu ad affinia procedimus, ad quæ per-
tinet (1) Insulæ nativitas, quæ triplex est: vel maris, vel
fluminis, vel maris & fluminis simul. Illa, quia nullius
esse creditur, statim fit occupantis, §. 22. *Inst. de R. D.*
Ipsam enim mare cuius insula pars est, nullius est. §. 1.
Inst. eod. Locam. ad §. 22. Inst. eod. Unaquæque enim pars
iudicatur secundum suum totum, l. 76. ff. *de R. V.* Ista
fit rursus quadrupliciter 1. Cum agrum, qui alvei non
fuit amnis circumluit. 2. Cum alveum siccum relin-
quit & circumfluit. 3. Cum in alveo locum eminen-
tem facit, illumque auxit. l. 30. §. 2. *de A. R. D. C. l. A. d. t.*
thes. 28. & hæc duæ posteriores prædiis versus flumen illi-
mitatis accedunt, l. 1. §. 6. ff. *de flumin.* Limitatis non
item, tunc enim fiunt occupantis. d. l. Prima propieta-
tis causam non mutat. 4. Quando pars quædam terræ,
virgultis aliâve levi materiâ ita sustinetur in flumine, ut
solum non tangat, sed modo huc modo illuc movea-
tur, & hæc vocatur natans insula cuius fit mentio. in l.
65. §. 2. ff. *de A. R. D.* adde Gryph. *de Ins. c. 19. n. 35.* Hæc ve-
rò cum in medio ostio fluminis nascitur insula, ita ut sit
intermedia flumini & ipsi mari publica est, l. 65. §. 5. *de A. R.*
D. ex quo explicari potest, d. l. 55. §. ult. (2) Alvei mutatio:
Hæc enim factâ alveum pro modo latitudinis illi quo-
rum prædia proxima erant, jure naturali possident, §. 23.
Inst. de A. R. D. l. 7. §. 5. d. l. 30. §. 1. in fin. C. A. ad eund. tit. n. 29.
l. 1. *G. de Alluv.* (3) Inundatio, factâ autem inundatione

D 2

non

non amittitur proprietas, sed tantum possessio, secundum gl. in verbo manere, per text. in l. 3. §. labeo 17. l. 30. §. 3. ff. de Acquir. possess. Recedente verò aqua etiam sine nova apprehensione Domini manet. Schneid. ad §. 23. Inst. de R. D. vid. §. 24. Inst. eod. l. 7. §. 6. ff. de A. R. D. C. A. d. 2. th. 29. (4) Circumluvio, quando flumen parte aliquâ divisum agrum ita ambit, ut in fundo unitum, in Insulæ formam redigat. l. 7. §. 4. ff. de A. R. D. de qua jam & supra in ead. th. dictum.


XLVI.

Absolutis hætenus Consentaneis alluvionum subjungimus Dissentanea, monente ita, C. I. A. in præfat. Tom. I. Possunt autem contraria ex defectu requisitorum, de quibus egimus, facile colligi. Et quidem ex parte fluminis (1) Eiusdem in contrarium operatio, quando nimirum id quod antea dederat, postea abripiat, l. 38. ff. de A. R. D. (2) Quando vis fluminis non paulatim, sed magno cum impetu (ita ut facile quid, & unde veniat perspicere possimus) ex vicini prædio partem aliquam detrahit & nostro adiunxit, tunc palam est vicini permanere, l. 7. §. 2. de A. R. D. §. 21. Inst. de R. D. Sic si arbores ex vicini in nostrum fundum essent delatæ, tunc eas vindicare potest vicinus tam diu, quam diu cum terrâ nostri fundi non coaluerint, atque inibi radices egerint, l. 7. §. 1. de R. D. §. 21. Inst. de R. D. de damno tamen infecto cavere debet, l. 9. §. 2. de damn. infect. Si egerint poterunt condici, l. 4. §. ult. ff. de R. Cred. Arbores autem coaluisse per Rusticos probandû est, hi enim earum peritiã habent rerum, Schneid. ad §. 20. Inst. de R. D. ideoque licet non juraverint tamen illis credendum monet Wesemb. ad Schneid. d. l. C. A. ad tit. ff. de A. R. D. th. 26. Deinde ex parte agri quando isti, quibus aliquid adiectû est sunt limitati, à limitibus dicti, hi enim jus alluvionis non habent,

7
bent, l. 16. l. 56. de A. R. D. l. 1. C. de Alluv. l. 1. §. 6. ff. de flumin.
Dicuntur autem Limitati, qui statutos terminos ha-
bent, & quidem ex publica autoritate, C. 1. A. d. l. Horum
autem sunt alii Decumani maximi, qui fiebant ab orien-
te in occidentem, alii Cardines maximi, qui ex transver-
so currebant, alii actuarii, alii subruncivi, Hygenus de Li-
mit. constit. Cuiac. 2. obs. 9. C. A. d. l.


Errat Hugo Grotius de Jure B. & P. l. 2. c. 8. n. 12. ubi
dicit, agros limitatos & certa mensura comprehensos
pro iisdem habendos, Quid limitati sint exponit, d. l. 16,
de A. R. D. & ibi Gothofred. l. 7. §. 1. de Peric. & Comm. rei
vend. & trad. Isti nempe publica autoritate limitati
sunt, nemo vero ambigit quin privatus suos agros certa
mensura comprehendere possit. Cuj. ad §. 20. Inst. de R. D.
Deinde & illud durum, quod dicit privatos agros, sem-
per praesumi limitatos, aut certa mensura terminatos:
Textus enim d. l. 16. de agris manu captis tantum loqui-
tur, ergo ad alia extendi non debet, libera & qualis na-
turaliter esse solet, praesertim quia quaelibet res perma-
nere praesumitur. l. 3. C. de Probation. l. ult. in pr. ubi Bart.
& Angel. C. de Pignor. act. l. 3. ff. de Serv. export. Barbosa
lib. 16. c. 40. n. 3. Tertio ex parte loci interiacentis: Si
quis locus religiosus, vel sacer sit intermedius, tunc iste
jus alluvionis impedit. De quibus supra th. 31. egimus.
Quarto & ultimo ex parte hominis, si quis ripam suam
contra impetum fluminis munit, quod etiam facere
debet. l. 1. C. de Alluv. dummodo tamen munit sine in-
commodo vicinorum, & ne peior navigatio fiat. l. 1. §.
6. & 7. ff. ne quid in flum. publ. fiat & l. 1. & t. t. ff. de ripae
munienda. Perez in tit. Cod. de Alluv. n. 2. Haec disputan-
tium examini subicere sufficiant.

Semper Triuni sit DEO
Aeterna Laus & Gloria.



ULB Halle
003 882 810

3





(f)

Sb

KDM7







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

VRIDICA, *2. 2. 17.*
Pri. C. num. 23.
 NIBVS, *1656, 5.*
Dec. xx.

E GRATIA, *12*
 E
 LLENTISSIMO,
 O,
 ASTIANO
 IO,
 ET IN INCLV-
 E INST. IMPER. PRO-
 ceptore aeter-
 O,
Subiicit
denhausen
 XO.
etis,
uarii.
 ATL,
 I SPOOR.
 LVI.

KOENIGLICHES
 UNIVERSITÄT
 ZV HALLÉ

Das. 77 num. 3

7

2

